

Cap. XL. De forma sacramenti tabernariorum.
Et eorum officio. R.ca.

Iurabunt tabernarii vendere tam vinum proprium quam alienum secundum mensuram eis assignatam per iustitios vel milites, prout se scribi fatient, et ipsum expedire quam citius poterint bona fide et sine fraude, et stare quindecim diebus ad vendendum ante vinum¹⁾ alienum, et post venditionem dicti vini infra octo dies se concordare et solvere domino dicti vini et daciario, etiam pena decem libr. par. pro quolibet et vice qualibet contrafacta. ¶ Et clausa dicta taberna, octo diebus post se concordare debeant cum domino vini et daciario, pena predicta, et nichilominus constringantur et detineantur in palacio comunis donec non solverint domino vini, et transactis octo diebus fiat venditio de bonis suis usque ad solutionem et satisfactionem dicti vini. ¶ Et quodlibet vas vel butixellam vini, quod vendere voluerint, facere bullari per iustitios comunis una insimul cum domino vini, et etiam facere fieri clavim in dictis vassis et butixellis, etiam pena supradicta pro quolibet et vice qualibet contrafacta. ¶ Nec aliquod vas vel butixellam quod vendiderint remove nec bullam sine licentia iustitiariorum vel dicti domini²⁾ vini, pena predicta; cuius pene³⁾ iustitarii habeant viginti frx. si acusati fuerint tabernarii predicti. ¶ Et nullum aliud vinum vendere vel aperire vel aliquam clavim fieri facere pro aliquo vino vendendo, nisi primo solverint domino vini venditi et daciario quod primo vendiderint. ¶ Et dominus vini venditi et dati tabernariis ad vendendum, de debito vini quod ei remanserit ad solvendum habeat fidem usque ad medium annum post venditionem vini. ¶ Et quandoque claudetur dictum vinum // fiat clavis de subtus per ipsos tabernarios et dominum vini, presenti daciario, et ipsa clave sic facta dominus habeat⁴⁾ libertatem extrahendi fecem et vinum quod remanserit ut sibi placuerit, et si dominus non fuerit in concordia cum tabernario et fuerit oportuno vas aportari ad aquam ad segomandum, comunibus expensis por-

¹⁾ unum. ²⁾ domino. ³⁾ pena. ⁴⁾ habeat - dominus aggiunta marginale.